



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij  
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolutiones  
Lectissimorum Casuum**

**Diana, Antonino**

**Antverpiæ, 1645**

B.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41753**

res, censentur esse in periculo mortis, ita ut possint à censuris, & reseruatis absolui: sed illæ tantum quæ numquam pepererunt, vel quæ difficiles & periculosos partus habere solent. Sanchez & alij 12. p. 3. tr. 4. res. 72. Sed de quibusuis, saltem in ipso partu, id docet Hurtad. & alij 2. p. 3. tr. 4. res. 72. & p. 5. tr. 3. res. 63.

B.

## BAPTISMVS.

1 **I**lla quantitas aquæ sufficiens est ad Baptismum, quæ potest contingere corpus, & successiuè fluere per aliquam eius partem. Vasq. & alij 3. Illa autem aqua esse potest ex sale, niue, aut gelu liquefactis; est enim essentialiter aqua. Idem dicendum de aquâ quæ ex ollâ euaporatur & hæret in tegumento, & quæ hyeme ex lapidibus, & parietibus manat. Ille tamen humor qui ex vite, aut arbore fluit, non videtur esse aqua, quamquam in casu necessitatis, ad baptismum adhiberi potest. Henrig. & alij. p. 3. tr. 4. res. 5.

2 Moribundo infanti Baptismus impendi debet etiam in materiâ dubiâ, ut  
iure

iare carniū , lixiuio, &c. Granad. & alij 10. Imò & cum aquâ rosaceâ , vel succo ex herbis, & frondibus expressio. Tanner & alij 5. sed non est à communi sententiâ contrariâ recedendum. Eodem modo tunc baptizari potest in minimâ parte, vel etiam capillis, aut secundinis Præpos. & alij & vnicâ guttâ aquæ. Hurtad. & alij. Sed in omnibus his casibus baptismus postea sub conditione est iterandus. *part. 5. tr. 3. ref. 1. 2. 3. 4. 5. & 11 & p. 6. tr. 7. ref. 18.*

3 Si Sacerdos ita baptizet, *Ego te baptizo nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti*, omittens particulam *(In)* cum *(&)* verè conficit Sacramentum; quia illa omissio non est substantialis: excusarem etiam illum à peccato mortali. Coninck & alij 5. Item si Sacerdos addat formulæ baptismi, *in nomine B. Virginis*, nihilominus verè confert Baptismum, dum modo per illa verba non intendat baptizare in nomine Virginis, sicut in nomine Patris, sed tantùm velit opem B. Virginis implorare. Suarez & alij 8. *p. 2. tr. 15. ref. 47 & 48.*

4 Si Sacerdos post ablutionem infantis statim pronuntiet formam baptismi, vel finitâ prolatione verborū statim

tim abluat, est validus baptismus, neque repetendus: quia tunc materia & forma censentur moraliter concurrere, & esse simul. Henriq. & alij 2. Et quamuis infans moreretur ante finitam ablutio- nem, esset tamen verè baptizatus. Hur- tad. & alij 6. p. 3. tr. 4. resol. 6. & p. 5. tr. 3. resol. 17.

5 Mutus, & manibus truncus non possunt simul baptizare infantē in articulo mortis, ita ut ille abluat, & hic verba proferat: quia eiusdem Sacramenti vnus esse debet minister. p. 3. tr. 4. ref. 11. quamuis nonnulli putent in necessitate posse sic baptizare sub condi- tione. Chapeauil. & alij 3. imò & abso- lutè id fieri posse docet Marfil. & alij 2. p. 5. tr. 3. ref. 26. & tr. 6. ref. 2.

6 In naufragio vel simili casu posset quis plures simul baptizare ob pericu- lum mortis. D. Thom. & alij. *ib.* ref. 27.

7 Peruersa intentio ministri confe- rentis Baptismum, aut aliud Sacramen- tū, non suppletur à Deo quoad gratiā. Suarez & alij 6. Quidam tamen contra- rium affirmant. Syluest. & alij 6. part. 3. tr. 4. ref. 17.

8 Sacerdos in peccato mortali bap- tizans in casu necessitatis sine solemni-  
tate,

tate, non peccat : quia non agit vt minister ex officio, sed perinde ac laicus, necessitati infantis subueniens. Suarez & alij 7. *ibid. res. 10.* & *p. 5. tr. 3. res. 24.*

9 Si in casu necessitatis laicus baptizet præsente Sacerdote, peccat mortaliter: si præsente tantùm Diacono, vel vno ex inferioribus, peccat venialiter. Suar. & alij 5. quamuis etiam præsente Sacerdote baptizantē non peccare nisi venialiter, doceant Valent. & Io. Suar. Quamuis autem Sacerdos esset excommunicatus, præferendus est laico. Cornejo. Laicus verò extra casum necessitatis baptizans peccat mortaliter, non tamen sit irregularis. Nugnus & Pitigian. In necessitate verò, & absentia Sacerdotis posset sine commissione Diaconus solenniter baptizare. Suar. Monachi autem etiam extra casum necessitatis baptizantes non peccant mortaliter, & aliquādo nec venialiter. Granad. *p. 3. tr. 4. res. 4. p. 5. tr. 3. res. 18.* & *28.* & *tr. 9. res. 87.* & *tr. 13. res. 58.*

10 Obstetrices non tenentur ex officio scire necessaria ad Baptismum, ne vernaculā quidem linguā: nullum enim est ea de re præceptum Ecclesiasticum, nec naturale; quippe obstetrix ex vi sui  
munc-

muneris tenetur tantum cooperari  
natiuitati corporali infantis; licet con-  
trarium sit pium, & consulendum.  
Suarez. *p. 2. tr. 15. ref. 46.*

11 Infantem aliàs sine Baptismo mo-  
riturum teneri tecum vitæ tuæ periculo  
baptizare, affirmat Granad. & alij 3. ne-  
gat Sancius & alij 3. *p. 5. tr. 3. ref. 16.*

12 Infantem in vtero matris, si aliquam  
sui parte aquam tingi potest, baptizare  
licet, etiam si natiuitas propriè dicta  
non præcedat, quia de non homine  
factus est capax ablutionis, & debitæ  
formæ verborum, quæ sunt essentialia  
Baptismi Suarez & alij 7. *p. 2. tr. 15. ref.*  
*43. & p. 5. tr. 3. ref. 12.*

13 Mulier ad mortem damnata, si sit  
periculum, ne ex aliquo morbo ante  
partum, vnâ cum prole moriatur, po-  
test seruato iuris ordine prius secari, si  
spes sit fore vt foetus possit baptizari:  
nihil enim sit contra ius. Suarez & alij  
*4. p. 2. tr. 15. ref. 44. & p. 5. tr. 3. ref. 13.*

14 Quamuis baptizari numquam possit  
infans eo modo quo simul occidatur,  
vt si in puteum proiiceretur; quia illa  
esset directa occisio: potest tamen ba-  
ptizari quamuis mors eius affusione  
aquæ multum acceleraretur. Granad.

&

& alij 3. part 5. tract. 3. ref. 8 & 14.

15 Baptizatis priuatim in necessitate postea adhibendę sunt cæremonię, etiam exorcismus. Laym. etsi qui id omittet sine contemptu, non peccaret mortaliter. Posseuin p. 5. tr. ref. 6.

16 Infantes sunt quamprimum baptizandi quando commodę possunt ad Ecclesiam deferri, quod est octauo die, vel etiam decimo, aut duodecimo, vbi patrinus est expectandus. Sotus. p. 7. tr. 4. ref. 8.

17 Baptizari possunt filij infidelium seruorum, etiam antequam vendantur, existentes sub cura parentum; ipsis etiam inuitis: sunt enim indigni illo iure naturali, ratione abusus. Vasquez. & alij 1. p. 2. tr. 15. ref. 45. Imò domini sub peccato mortali tenentur ratione caritatis, in tali casu illos baptizare. Vasq. Tur. p. 3. tr. 4. ref. 1. sed contrarium postea docet, scilicet id non licere nisi in periculo mortis. p. 5. tr. 3. ref. 10.

18 Baptizari possunt filij hæreticorum, etiam si sub curâ parentum probabiliter timeatur periculū subuersionis ipsorum: fieri enim potest vt moriantur ante vsum rationis, aut vt aliquando Catholicę fidei dogmatis imbuantur,

buantur, aut vt ignorantia inuincibili excusentur, atque ita per Baptismum saluentur. Layman. p. 3. tr. 4. ref. 7.

19 Quando tenellus & paucorum dierum infans expositus inuenitur, est sub conditione baptizandus, nisi habeat schedam baptismi testem. Si verò infans ex colore, & ætate videretur natus ante mensem, nec vllam haberet schedam Baptismi testem, esset etiam sub conditione baptizandus; Villalob. imò etiam, cum illâ schedâ infans expositus inter infideles, sub conditione baptizandus est, ne salutis æternæ periculum adeat. Vasq. in *Addit. 3. part. ref. 6. & p. 5. tr. 13. resol. 85.*

20 Puer inter Christianos natus, postea à Turcis captus, & inter eos educatus, si factus grandior ad Christianos redeat, sitque de suscepto baptismo dubius, est sub conditione baptizandus: nã licet eâ ætate credatur captus, in quâ debuerit esse baptizatus; tamẽ hoc non constat nisi ex testibus infidelibus, qui hoc dicere potuerunt, vt hic puer postea à Christianis captus non baptizaretur; neque hi testes sunt fide digni, etiamsi asseuerarent illum esse baptizatum. Sancius & alij. in *Addit. 3. p. ref. 10.*



21 Impendendus est Baptismus moribundo quando vnicus testis etiam infidelis affirmat eum petiisse baptismum. Reginald. & alij 2. Imò quamuis testis ille dubitaret, baptizandus esset sub conditione. Henriq. & Sancius. p. 5. tr. 3. ref. 21. & 22.

22 Baptismus collatus dormienti qui illum petierat ante somnum, est validus. In cap. maiores, de baptismo. Idem dicendum de amente, & furioso, qui dum haberet lucida intervalla baptismum petiit, etsi postea dum baptizatur, videatur resistere. Barbosa & Sylvius p. 3. tr. 4. ref. 12. & p. 5. tr. 3. ref. 23.

23 Surdus & mutus qui videns alios baptizari peteret etiam Baptismus, si deprehēderetur sufficienter instructus, posset baptizari, sed si facile posset adiri Episcopus, eius iudicium esset adhibendum. p. 5. tr. 6. ref. 1.

24 Attritio cognita est sufficiens dispositio in adultis ad baptismum. Villalob. & alij 5. p. 3. tr. 4. ref. 13.

25 Cùm quis animo ficto accedit ad baptismum: fictio non remittitur per baptismum, sed per pœnitentiam in ordine ad claves, atque adeò necessariò est in confessione explicanda. Omnia

nia

nia autem peccata ante baptismum commissa, vel in ipsâ baptismi susceptione, recedente fictione delentur per baptismum, etiamsi fictè baptizatus nullam prorsus attritionem habuisset in ipso Baptismo, ac proinde non sunt, recedente fictione, in confessione explicanda. Denique peccata post baptismum commissa, recedente fictione remittuntur per pœnitentiam in ordine ad clauis Ecclesiæ; ideoque quamdiu in confessione non aperiuntur, requiritur contritio ad tollendam fictionem, & effectum baptismi consequendum. Villalob. & alij 4 *ibid. ref. 14.*

26 In priuato baptismo nihil est necesse adhibere patrinum. Suar. & alij 4. Quo casu si quis teneat infantem etiã ex proposito vt patrinus munus obeat, probabile est nullam tamen contrahere spiritalem cognationem. Sanchez & alij. Neque improbãda est consuetudo, qua Catholici quibusdam in locis, patrinus sunt filiis hæreticorum, baptizante illos ministro hæretico. Layman. *ibid. ref. 18. & p. 5. tr. 3. ref. 7.*

27 Quando infans fuit domi baptizatus, si postea deferatur ad Ecclesiam vt cæremonia peragatur, qui instar patri-

pat  
co  
Po  
28  
no  
tio  
ter  
est  
tur  
Sa  
29  
ful  
est  
co  
qu  
ris  
ch  
30  
fili  
tar  
&  
co  
per  
hit  
tr  
31  
inc  
no  
&

patrini tenet infantem, nullam cum eo contrahit cognationem spiritalem. Pontius & alij 3 p. 3. tr. 4. ref. 260.

28 Qui tenet infantem in Baptismo, nomine alterius, non contrahit cognationem spiritalem; quia alieno nomine tenet. Sanchez & alij 4. Imò probabile est neque ipsum principalem qui legatum misit, cognationem contrahere. Sanchez & alij 3. *ibid.* ref. 2.

29 Si quis per errorem de sacro fonte suscipiat filium Petri, quem existimat esse filium Ioannis, probabiliter nullam contrahit cognationem: vti & maritus qui per ignoratiam leuauit filium vxoris, non arceatur à debiti petitione. Sanchez & Villalob. *ibid.* ref. 16.

30 Qui in periculo mortis baptizauit filium suum, vel suscepit, adstantibus tamen multis qui hoc facere poterant, & sic cum suâ vxore cognationem contraxit, potest nihilominus ab eâ petere debitum: quia nullo textu id prohibetur. Suarez & alij 5. *ibid.* ref. 3. & p. 5. tr. 3. ref. 25.

31 Rebaptizantes sub conditione non incurrunt irregularitatem, quia hæc non est rebaptizatio simpliciter. Suar. & alij 10. p. 3. tr. 4. ref. 9.

32. Infans cuius baptismus est dubius, vndecumque oriatur dubium, ita vt fuisset rebaptizandus si superuixisset, sepeliendus est in loco sacro. Homobonus. p. 4. tr. 3. ref. 69.

*Beatus.*

1. **N**on licet recitare officiũ alicuius beatificati v.g. B. Frãncisci Borgiæ etiam ex deuotione extra diem eius festum; imò nec commemorationem de eodem in Missâ facere, & cõtra facientes peccant mortaliter. Item quando conceditur aliquibus Religiosis facultas Missam de talibus Beatis celebrandi in suis Ecclesiis, nõ possunt illam celebrare alibi v.g. in aliquã parœciã, aut monasterio alterius religionis. Quòd si tamen id solum semel, aut bis fieret, non esset lethale. Granad. p. 4. tr. 4. ref. 231.

2. Quando in beatificatione alicuius, Pontifex concedit Sacerdotibus alicuius Religionis, vt possint de illo Missam celebrare, non licet aliis Sacerdotibus, seu sæcularibus, seu regularibus, de eo Beato in Ecclesiã assignatã Missam celebrare. Quia illud priuilegium conceditur tantũ Sacerdotibus illius Religionis; cum illi soli in Bullã exprimantur.

Turrian.

Turrian. & Molfesius p. 2. tr. 15. ref. 55. &  
in Addit. 3. p. ref. 2.

3 Non potest Episcopus instituere  
diem festum alicuius Beati nondum ca-  
nonizati. Sanchez & alij 3. quamvis  
contrarium docent Suarez & Fagun-  
dez. Neque etiam licet talem Beatum  
inuocare in publicis Litiis. Portel &  
Castellin. Neque eius imaginem depin-  
gere cum radiis, vel diademate. Bellar-  
min. & alij 3. p. 3. tr. 5. ref. 9.

4 Consuetudo per sortes eligendi Sā-  
ctos tutelares, illicita est, melius ex ra-  
tione eliguntur. La Torre. p. 5. tr. 14. ref. 9.

## Bellum.

1 **P**otestas indicendi belli est penes  
eos solos, qui non habent supe-  
riorem in ciuilibus, & criminalibus. Po-  
test tamen consuetudo etiam alijs eam  
potestatem conferre: imò & interdū  
ipsa necessitas. Molin. & alij 2. p. 6. tr. 4.  
ref. 1.

2 Non potest dari bellum ex vtraque  
parte iustum, etsi ab vtraque parte ius-  
te non peccetur propter ignorantiam.  
Valent. & alij 4. *ibid.* ref. 24. Quando  
autem sunt vtriusque rationes proba-  
biles, posse Regem suscipere bellum cō-

tra alterum Regem qui est in possessione, negat Vasq. & alij 2. Affirmat Sanchez. *p. 2. tr. 13. ref. 8.*

3 Quamdiu dubitatur de iustitiâ belli, probabile est milites posse bellare; possunt enim præsumere pro principe. (Sallas & Nauarra.) Sed probabilius est, id licere solis subditis Principis, sub quibus comprehenduntur, non soli indigenæ, sed omnes qui ante suscitationem illius belli, continuis stipendiis sub illo militabant. Sanchez, Molin. & alij 6. *p. 4. tract. 3. ref. 7. & p. 6. tr. 4. ref. 9.*

4 Intentio Principis bona, vel mala non facit ad iustitiam belli. Coninck, & alij 7. *p. 6. tr. 4. ref. 4.*

5 Hæreticis bellum potest inferri ob solam hæresim. Reginald. Imò & barbaris ob barbariem ineptam ad politiam: nam talis coactio in eorum cedit utilitatem. Hurtad. & Lorca. *ibid. ref. 19 & 3.*

6 Ob solam infidelitatem non potest inferri bellum infidelibus, etiam ex licentia Papæ: potest autem si prædicatores fidei nolint admittere, vel liberum ijs transitum in alias prouincias negent. Molin. & alij. Imò possunt ij cum præsidio militari induci, & arces  
pro

pro eorum securitate in finibus extrui.  
Suar. & Solorzan. *ibid. ref. 15. & 17.*

7 Si apud infideles sit vsus humanæ  
carnis, immolatio innocentium, aut  
similia, possunt propter ea sola debel-  
lari, etsi nulli ipsorum auxilium implo-  
rent. Molin. & alij 3. Imò ob solam ido-  
latriam, & violationem iuris naturæ  
id permittūt quidam. Syluest. & alij 10.  
*ibid. ref. 16.*

8 Probabilie est Principem, ex cuius  
consensu vasallus alteri Principi grauē  
intulit iniuriam, iustè bello impeti, si  
vasallum ad necem tradere recuset,  
quantumuis aliam omnem offerat sa-  
tisfactionem. Molin. & alij 2. sed con-  
trarium est verius. Coninck. *ibid. ref. 6.*

9 An iusta sit causa belli inferendi, si  
quis Princeps exteris omnibus prohi-  
beat negotiationem, peregrinationem,  
&c. per suum regnum, ex eo quòd hæc  
iure gentium videantur concessa? qui-  
dam aiunt, (Victoria & Lorca.) Sed alij  
communiùs negant. Molin. & alij 3.  
Non est tamen iusta belli causa si trā-  
situs negetur militibus armatis: nam  
fere semper ab his periculum timeri  
potest. Coninck & Castrop. *p. 4. tract. 4.  
ref. 74. & p. 6. tract. 4. resol. 5.*

10 Etsi iusta sit belli causa, si tamen inde grauiora damna imminent propriæ reipub. quam sit spes victoriæ, iniuste inferetur. debet ergo iniuria ob quam infertur esse maior, quàm dāna quæ solet bellum adferre. Molin. & alij. *p. 6. tr. 4. ref. 7.*

11 Post bellum inchoatum si debita offeratur satisfactio, tenetur Princeps à bello cessare, quoties agitur de recuperatione alicuius possessionis; non autem quando agitur de vindicandâ iniuriâ, quia cum hæc mereatur pœnam belli, eam relaxare solius est misericordie, non iustitiæ. Lorca. Quidam tamen absolute negant. Caietan. & alij 3. alij affirmant. Suar. & alij 6. *ibid. ref. 8.*

12 Bellum committere in die festo etiam citra necessitatem, modò Missa audiatur, nullum est peccatum. Granad. *p. 4. tr. 4. ref. 229. & p. 6. tr. 4. ref. 32.*

13 Clericis iure saltem positiuo militia grauius est prohibita: vnde non licet Episcopis, duces esse exercitus. Clerici tamen in minoribus, etiam beneficiati, non peccant mortaliter etiam si propriâ manu pugnent, si beneficium non postulet residentiam, & nihil officij omitant. Si tamen occidendo fiant

irre-



irregulares, tenentur beneficium resignare, vel dispensationem impetrare. Laym. & alij 2. Similiter nec Religiosi laici per hoc peccant mortaliter, grauius tamen quàm Clerici beneficiati. excipe hinc quoties id necessarium est ad defensionem vel sui, vel innocentis, vel Ciuitatis aut nauis, vel etiam ad consecutionem iustæ victoriæ, ex qua salus Ecclesiæ, vel Reipub. multum pendet. quæ vix locum habent in bello offensiuo. Molin. & alij. Et in his casibus non fiunt irregulares. Hurtad. Idem est si pugnent ex licentiâ Sum. Pontificis. Molin. & Couarr. p. 6. tract. 4. ref. 33. 34. 35. & 38.

14 Possunt Clerici ad iuuandos in spiritalibus milites bello interesse sine vilius licentiâ. Coninck. & Castrop. Tuncque possunt hostium spolia arripere, sicut ceteri, nisi contraria esset voluntas Ducis exercitus. Molin. & Lzyman. Imò possunt id facere, etsi contra prohibitionem Ecclesiæ bello interessent. Lorca. *ibid.* ref. 36. 37. & 40.

15 Peccant Duces & restituere tenentur. 1. Si pauciores habent milites quam quos exhibent in solutione stipendij. 2. si necessaria ad bellum præparent aut

vitiosa. v. g. cibum, aut in minori quan-  
 titate quàm tenentur. 3. si in transitu  
 per patriam accipiant pecuniam ne a-  
 liquò veniant, etiam cum libera eis  
 permiffa est electio. Mol. & alij. *ib. r. 27.*  
 17 In bello licet vti stratagematis,  
 & infidiis: fides tamen semper ser-  
 uanda, nisi vel coactus eam dediffes,  
 vel in graue detrimentum cederet Rei-  
 pub. aut religionis, aut si hostis eam  
 non seruaret. Castrop. & alij. *ibid. ref. 10.*  
 16 Etsi tota aliquando ciuitas diri-  
 pienda possit concedi, tenentur tamen  
 duces impedire scelera quæ eâ occasio-  
 ne communiter perpetrantur. Molin.  
 & alij. *ibid. ref. 21.*  
 18 Innocentes posse redigi in seruitu-  
 tem docent Molin. & alij 4. etsi contrà  
 satis probabiliter sentiant Lorea &  
 Hurtad. Quod si deuastentur eorum  
 bona ad hostilem Rempub. non perti-  
 nentia, debent postea restitui, tametsi  
 ex eorum occupatione locupletior non  
 euaseris. Lorea & Castrop. Etsi autem  
 aliquando indirectè ipsi possint occidi,  
 videndum tamen, an finis belli prepon-  
 deret eorum morti & damnis aliis in-  
 ferendis: non enim semper potes tuam  
 vtilitatem cum damno aliorum gra-  
 uiffi.

nissimo quærere. Valent. & alij 3. *ibid.*  
*ref. 13. 12. & 11.*

19 Bona mobilia quæ milites ab ho-  
 stibus antea iniuste capta, recuperant,  
 fiunt ipsorum, saltem si iam erant vel  
 ad loca tuta deportata, vel per 24. ho-  
 ras possessa. Hurtad. & alij. Qui verò  
 emptione, aut simili modo ea recupe-  
 rant, tenentur restituere, recepto tamē  
 pretio, quoties Domino non erat spes  
 aliter recuperandi Coninck. *ibid. ref. 23.*

21 Obsides in bello dati, nisi sint no-  
 centes, occidi non possunt, etiam si ho-  
 stes fidem non seruent. Molin & alij 4.  
 Nec audiendus est contra sentiens Fil-  
 liuc. *ibid. ref. 20.*

20 Capti in bello etiam iusto, utcum-  
 que à Dominis tractentur, licite possunt  
 fugere, animo redeundi ad suos, nisi  
 fidem dederint non fugiendi. Less &  
 alij 3. Capti autem in bello inter Chri-  
 stianos, etsi non fiant mancipia, licite  
 tamen detinentur donec lytrum sol-  
 uant. Hurtad. & alij 7. *ibid. ref. 14.*

22 Repressalia licita sunt his conditio-  
 nibus. 1. vt manifestè constet ciues al-  
 terius reipub fecisse iniuriam. 2. vt illo-  
 rum superiores rogari recusent facere  
 iustitiam. 3. vt constet eos culpabiliter

id recusare. 4. vt supremus Princeps rei-  
pub læsæ causa cognita concedat fa-  
cultatem capiendi repressalia. 5. vt non  
inferatur plus damni, quàm necesse sit  
ad iustam satisfactionem. 6. vt non cõ-  
cedantur in personas Ecclesiasticas. Mo-  
lin. & alij 18. *ibid. ref. 72.*

*Beneficium.*

**L**icet ex privilegio concedi possit  
per Papam collatio beneficiorum  
Principi laico: nullâ tamen consuetudi-  
ne, aut præscriptione etiam immemo-  
rabili, acquiri potest. Tuschus & alij p. 3.  
*tr. 1. ref. 65.*

2 Cardinales quando sunt in Vrbe, ha-  
bent potestatem conferendi beneficia  
in suis titulis. Barbos. & alij 4. Itẽ reci-  
piendi resignationes beneficiorum in  
illis existentium. Paris. Eorum verò fa-  
miliarium beneficia per obitum vacan-  
tia non conferuntur etiam à Papa, sine  
consensu Cardinalis patroni. Barbos. &  
alij 3. p. 5. *tr. 2. ref. 13. 14. & 41.*

3 Cardinales possunt conferre benefi-  
cia episcopatum resignatorum, quam-  
diu resignatarius nondum adiuit pos-  
sessionem: aut antè quàm ipsi possessio-  
nem habeant episcopatum ad quos  
assumpti sunt; quia Episcopus electus  
potest

potest exercere quæ sunt iurisdictionis.  
 Germon *ibid. ref. 44. & 45.*

4 Patronus laicus, non tenetur sub peccato mortali præsentare digniorē, etiam quoad beneficia curata, quia Concil. Trid. *sess. 14. de reform. c. 28.* non adstringit patronum laicum ad præsentandum digniorem. Garfias & alij 7. *p. 2. tr. 15. ref. 37.*

5 Præsentatio ad beneficium facta à patrono laico excommunicato valida est, non tenetur tamen Episcopus eam admittere, imò nec potest, cum sit illicita. Villalob. & alij. *p. 5. tr. 9. ref. 105.*

6 In dubio an beneficium sit curatū, an simplex, præsumitur simplex: quia ad curatum multæ requiruntur qualitates, quæ proinde præsumi non debent, nisi probetur. Gutierrez & alij 2. *p. 4. tr. 3. ref. 74.*

7 Omnia beneficia quæ curam animarum non habent, possunt conferri dignis, prætermittis dignioribus: Concil. enim Trid. sola Episcopalia, & curata decernit dignioribus esse conferenda. Garfias & alij 3. *p. 2. tract. 15. ref. 38.*

8 Episcopatus, & alia beneficia curata, si in concursu competitorum non cōferantur dignioribus, violatur iustitia  
 distri-

distributiva. D. Thom. & alij 14. *ibid.*  
*ref.* 40. Dari tamen hic materiam par-  
 uam ex eo, quod exiguus sit excessus  
 docet Sotus & alij 4. sed alij negant.  
 Turrian *p.* 5. *tr.* 5. *ref.* 13. Imò peccatur et-  
 iam contra iustitiam commutativam  
 ortam ex illo quasi contractu proue-  
 niente ex propositione, edicti de cōcur-  
 su, ac propterea tunc eligentes minus  
 dignum, tenentur ad restitutionem.  
 Vasq & alij 3. Quamuis contrarium et-  
 iam sit probabile ex Nauarro & aliis 3.  
*p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 210. Qui verò ius habent  
 conferendi beneficia per provisionem  
 liberam, vt Reges, & Sum. Pontif. non  
 tenentur eligere digniores, nisi sint in  
 promptu, sed sufficit si eligant dignos,  
 & Prælati tenentur hos acceptare. Re-  
 gin. & Sanch. *ibid.* *resol.* 170. & *p.* 2. *tr.* 15.  
*ref.* 40. Qui verò resignat, potest resi-  
 gnare digno cui voluerit; hic enim nul-  
 lus est concursus, & collator acquies-  
 cendo resignationi non peccabit. Les-  
 sius & alij 6. *p.* 2. *tr.* 15. *ref.* 41.

9 Collatio beneficij facta suspensio, vel  
 interdicto nō est inualida. (Less.) neque  
 eius acceptatio ab excommunicato,  
 modò tēpore electionis, & collationis  
 non fuerit excommunicatus. Vasq. &  
 alij

alij 6. quia iura solam electionem, & collationem irritant: quamvis hinc etiam eximat toleratos Hurtael. An idem sit quando tempore electionis, & presentationis erat excommunicatus, sed absolutus est ante acceptationem, non est ita certum, sed affirmant Henric. & Couarr. *p. 5. tract. 9. res. 100. 99. & 102. & p. 4. tr. 4. res. 56.*

10 Excommunicatum non esse incapax pensionis quæcumque illa sit, ac propterea validè illi consignari docent quidam. Auila & alij 2. sed contrarium est probabilius. Suar. Vasq. & alij 8. *p. 4. tr. 4. res. 55 & p. 5. tr. 9. res. 103.*

11 Cui inualidè propter excommunicationem collatum est beneficium, post absolutionem tum huius impedimenti, tum eius quod incurrit acceptâdo, potest sine nouâ collatione illud retinere, modò impedimentum sit occultum, nec in vllius cedat præiudicium qui simul fortè fuit electus. Sanch. & alij 2. *p. 5. tr. 9. res. 101.*

12 Electio ad beneficium excommunicati excommunicatione minori non est irritanda, si electores illam ignorarint. Auila. Imò scienter talem eligentes non propterea priuantur voce. Gord.

&

& Bonon. *ibid.* ref. 132.

13 Beneficiarius si incidat in excommunic. non priuatur eo ipso fructibus beneficij ante sententiam, & per consequ. nihil tenetur restituere modò exequatur onera & officia beneficij. Vasq. & alij 6. *ibid.* ref. 104. & p. 4. tr. 4. ref. 54.

14 Resignatio beneficij ab excommunicato facta in fauorem tertij, valida est. Turrian. si tamen esset non toleratus esset inualida; quia non spectat ad iurisdictionem. Filliuc p. 5. tr. 9. ref. 106.

15 Episcopi resignata in manibus suis beneficia possunt conferre etiam suis, vel resignantis consanguineis: nam Bulla Pij V. recepta non videtur. Barbosa & alij 3. *ibid.* tr. 14. ref. 26.

16 Licet Episcopus nequeat pensionem reservare super beneficio; ex causa tamen iustâ, maximè pro bono pacis, potest illam imponere. Nauar. & alij 4. Imò & in permutatione beneficiorum potest inæqualitas fructuum, ex consensu Ordinarij, per impositionem pensionis compensari. Nauar. & alij 2 p. 6. tr. 8. ref. 17.

17 Ecclesiastici valdè nobiles, aut insignis eruditionis, ceteris paribus, possunt plus aliis minùs nobilibus, aut minùs



minùs doctis insumere ex redditibus Ecclesiæ: debent tamen sumptus esse moderati, vt non excedant decentem Ecclesiasticorum modestiam. Vnde sequitur Principum filios non posse tantum expendere de bonis Episcopatus, quantum possent de bonis patrimonialibus; nam alia sustentatio conueniens est Principi sæculari, alia Ecclesiastico. Molina & Coninck. *p. 2. tr. 16. ref. 24.*

18 Qui beneficij Ecclesiastici collatorem determinatum ad conferendum alteri, precibus, vel muneribus inducit vt sibi, vel amico minùs digno conferat, non tenetur ad restitutionem: quia relinquit collatorem in suâ libertate: neque facit iniuriam alteri, etiamsi ex odio id faciat; quia odium non est cõtra iustitiam, sed contra caritatem. Lessius & alij 7 *p. 3. tr. 5. ref. 53.*

19 Qui se agnoscit minùs dignum, potest se offerre ad beneficium, relinquendo totum iudicium collatori, secundùm Lessium; quod magis valet in dubio de digniori. Si autem in concursu eligatur, prætermisso digniori, potest beneficium, aut cathedram acceptare. Turrian. & Sotus. Ceterùm in concursu potest aliquando eligi dignus, relicto  
di-

- digniori. 1. Si dignior est extraneus. 2. Si minùs dignus est acceptior. 3. Si dignior est implicatus negotiis externis. 4. Si est periculum ne eligatur indignus. 5. Si minùs dignus sit magis expertus. Item Patronus laicus potest præsentare minùs dignum, relicto digniore. Lessius & alij 6. Examinatores autem non tenentur indicare digniorem, nisi Episcopus id postulet, vt faciat electionem Ecclesiæ vtillioem. Gasias & alij 4. *ibid. res. 10. & 11.*
- 20 Examinatores si præmoneant examinandos de punctis petendis, peccant mortaliter, quando id cedit in præiudicium tertij, vt quando fit in cõcursu pro beneficio. Rodriq p 5. tr. 14. res. 89.
- 21 Ad obtinendum simplex beneficium, sufficit annum 14. esse inchoatum. Azor. & alij 5. p. 3. tr. 6. res. 64.
- 22 Electus ad Cardinalatum non amittit priora beneficia, nisi sint inferiora, & quæ dignitati illi repugnent, vt Archidiaconatus, decanatus, canonicatus, &c. p. 5. tr. 2. res. 11.
- 23 Cardinales possunt habere plura beneficia, aut saltem est causa cur Pontifex ipsis hoc concedat. Azor. & alij. *ibid. res. 41.*

*Blasphemia.*

1 **Q**ui vocat amasiam suam Deam,  
vel idolum suum, non est bla-  
spemus: quia illa solam hyperbolen so-  
nant. Hurtad. & Lorc. p. 5. tr. 13. ref. 20.

2 Qui inter iurandum diceret V. G. *al*  
*dispetto di Di* omissa littera O, non est  
censendus blasphemus hæreticalis. Ric-  
cius. p. 6. tr. 8. ref. 38.

4 In blasphemiam non datur materia  
parua. Suar. & alij 8. quantum contra-  
rium doceat Villalob. Ut si quis verbis  
scripturæ ad iocum abutatur, aut or-  
ganista loco Kyrie eleyson, cantilenam  
profanam organo canat. p. 5. tr. 5. ref. 3.

3 Blasphemiam omnes sunt eiusdem  
speciei. vnde non est necesse earum di-  
uersitatem in confessione explicare, sed  
solum numerum. Caietan. & alij 5. Qui  
verò sæpius eandem blasphemiam re-  
petit eodem actu, & tempore, vnum  
tantum peccatum committit. Zanard.  
Imò etsi essent diuersi generis; quia  
nihilominus vniuntur ratione tempo-  
ris eiusdem, & vnius impetus. Fagund.  
& alij p. 5. tr. .ref. 21. & p. 1. tr. 7. ref. 50.  
& 51. & p. 6. tr. 8. ref. 38.

*Bona Ecclesiastica.*

1 **N**on possunt imponi gabellæ super bona Ecclesiast. nisi publicâ necessitate id exigente, & utilitate communi æquè principaliter tam Ecclesiasticorum, quàm laicorum; & tunc requiritur consensus utrorumque. Si verò Clerus in casu quo debet, nollet consentire, possent laici implorare auxilium Superioris Ecclesiastici: nam à Superiore laico compelli non possunt. Lessius & alij. *p. 1. tr. 2. res. 39. 40. 41. 42. & 43.* non potest tamen Episcopus, vel Clerus in talem contributionem consentire nisi permittente Pontifice, quando hic consuli potest Castr. Pal. & alij *2. p. 5 tr. 1. res. 11.*

2 Clericus non potest se submittere iurisdictioni regali quoad bona patrimonialia; nam & hæc gaudent privilegio exemptionis, cui cedere nequit. Laym. & Barbos. *p. 3. tr. 1. res. 29.*

3 Iudex laicus non potest procedere contra pecora clericorum, quæ in alienis pascuis inuenta fuerint; quia non potest ferri sententia à Iudice in pecora, cum non sint capacia; neque in personas quæ non subsunt iurisdictioni seculari. Barbofa. *p. 1. tr. 2. res. 81.*

4 Si adsit clausula de non alienando non potest fieri executio per secularem Iudicem in prædio, quod clericus à laico obtinuit. Villadiego p.3. tr.1. ref.49.

5 Si Clericus vsurpet, vel impediatur iurisdictionem secularem, aut alia regalia, non potest tamen à iudice laico bonis temporalibus priuari, defectu iurisdictionis in bona, æquè ac in personâ. Sanch. & alij. p.4. tr.1. ref.77 & 79.

6 Clerici tenentur soluere collectam certam, & inuariabilem impositam per statutum super aliqua bona, priusquam ad eos peruenissent. Barbof. & alij. p.3. tr.1. ref.17.

7 Iudex laicus non potest exigere gabellas à colonis Regularium: quia bona, & prædia Regularium sunt exempta. Abbas & alij. 2. Tenentur tamen dicti coloni soluere gabellam ex fructibus collectis, si eos aliò transferant, aut alienent; tunc enim censentur bona laicorum. Filliuc. *ibid.* ref.19.

8 Item coloni laici Regularium, qui eorum agros conducunt, exempti sunt à solutione decimarum; quia hoc priuilegium exemptionis est reale. Menoch. & Peirin. *ibid.* ref.23.

9 Si Ecclesia, vel persona priuilegiata

concedat domum, vel agram in censum emphyteuticum redimibilem, emphyteuta non gaudebit priuilegio exemptionis; quia tunc dominium non remanet penes Ecclesiasticum, sed solum ius recipiendi annuam pensionem: secus est de aliis emphyteutis Ecclesiæ. Felician. *ibid. ref. 24.*

10 Alienatio bonorum Ecclesiæ facta à Rectoribus in euidentem eiusdem Ecclesiæ utilitatem saluo assensu Sedis Apostolicæ, non est inualida, etiamsi Summus Pontif. nondum consenserit: neque Rectores qui fecerunt conditionem Ecclesiæ meliorem, incurrunt excomm. quia cum hic contractus celebratus sit in commodum Ecclesiæ, quæuis legitima forma, & tolemnitas desit, validus tamen erit, quia forma requiritur tantum ad fraudes euitandas. Syluest. & alij 14. p. 1. tr. 8. ref. 77.

11 In necessitate possunt à Regularibus oppignorari mobilia pretiosa, vel etiam immobilia, quando non potest licentia peti à Papa; nec necesse tunc est illam petere ab Episcopo. Filliuc. & alij. p. 5. tr. 13. ref. 6.

12 Ex determinatione Cōgreg. Cardd. seste Homobono & Peregrino, in mobilibus

bili  
pre  
illu  
25.  
rio  
alie  
qui  
est  
rio  
len

1  
C  
testi  
tio  
He  
2  
per  
Bul  
car  
alij  
pro  
stat  
nor  
3  
tali  
cipi  
lim

bilibus bonis Ecclesiæ illud censetur pretiosum, ita ut Prælati non possit illud alienare, quod excedit valorem 25. aureorum. Sub illis tamē rebus pretiosis prohibitis sine debitâ solennitate alienari, non comprehenduntur reliquæ Sanctorum quia non sunt pretio æstimabiles. Item potest fieri permutatio ab vnâ Ecclesiâ ad alteram sine solennitate. *Triuisan. p. 4. tr. 4. ref. 223.*

*Bulla Cruciate.*

1 **Q**ui scit parentem vel amicū quocumque Bullam pro se accipere, potest uti illius priuilegiis antè quàm certior fiat de Bullâ suo nomine acceptâ. *Henriq. & Villalob p. 1. tr. 11. ref. 90.*

2 Potest quis si uigratis & indultis per Bullam concessis, extra regna ubi Bulla non promulgatur; excepto esu carniū & lacticiniorum. *Rodrig. & alij 2. ibid ref. 1.* Imò etiam quoad hoc, probabile est, si breuis est absentia; quia statim reuersurus secundum ius abesse non dicitur. *p. 5. tr. 14. ref. 20.*

3 Prælati Regulares tenentur sub mortali non impedire ne subditi Bullam accipiant; possunt tamen licentiam suam limitare quoad talem, vel talem usum.

Acosta & Villalob. p. 1 tr. 11. ref. 99.

4 Valet Bulla quam meretrix de turpi quæstu sumit; quia licet turpiter faciat peccando, non tamen turpiter accipit pretium. At si ex furto sumatur, non valet vult enim Summus Pontifex hanc eleëmofynam fieri de propriis bonis. Acosta & alij 2 *ibid.* ref. 101.

5 Per Bullam Cruciatæ datur facultas eligendi Sacerdotem, qui possit sine licentiâ Parochi conferre hæc tria Sacramenta, Pœnitentiam, Eucharistiam, & Extremã Vnctionem. Vasq. *ib.* ref. 20.

6 Potest quis per Bullam absolui à censuris, & casibus reseruatiss ante & post ipsius susceptionem incurtis. Idẽ dicendum de votis seu commutandis, seu dispensandis: quia verba Bullæ sunt generalia, neque restringenda. Sanchez & alij 9. *ibid.* ref. 17.

7 Potest Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ absolui à casibus contentis in primo canone Bullæ Cœnæ: quia excipitur sola hæresis formalis. *ibi.* ref. 29. Quare absolui possunt legentes libros hæreticos, non tantẽ animo hæretico. De libris chiromanticis & magicis nõ est dubium, cùm non sint hæretici. Sanchez & alij 7. *ibid.* ref. 30.

8 Con-



8 Confessarius per Bullam Cruciatæ potest absolvere à quibuscumque casibus Summo Pontifici reseruatiss, non semel, sed toties quoties, dummodò tamen sint occulti, quia iam non sunt reseruatiss Summo Pontifici, sed iure ordinario competunt Episcopis, vt definit Concil. Trident. Restrictio autem illa quæ est in Bulla (*semel in vitâ, & semel in articulo mortis*) posita est quoad casus publicos. Sanchez *ibid. ref. 28.*

9 Regulares non possunt sine licentiâ Prælatorum, virtute Bullæ eligere Confessarium, qui illos à reseruatiss absoluat, nisi ille confessarius sit ex deputatis ab eorum Prælatiss, ad eorum confessiones audiendas: & quia decretum Clementiss VIII. circa hoc innouatum est ab Urbano VIII. an. 1630. 19. Iun. saltem dum viuitt Urbanus, contrariũ non est probabile, nec tutum in praxi. *ibid. ref. 14. & in Addit. 3. p. ref. 9.* Imò iuxta idem illud decretum, non poterunt per Bullam Cruc. confiteri de reseruatiss etiam Confessario domus *p. 4. 17. 4. ref. 43.* Nouitiss tamen possunt sumere Bullam, sicut alij sæculares, non enim quoad onera censentur religiosiss, Suar. & alij *4. p. 1. 17. 11. ref. 15.*

- 10 Qui virtute Bullæ eligit Confessarium, & fictè confitetur peccata reservata, ita vt eius confessio sit irrita, potest à quocumque Confessario absolutionem ab illis obtinere; quia censetur reservatio sublata. Comitol. & alij 10. *ibid. ref. 18. & in Addit. p. 3. ref. 16.*
- 11 Qui peccat ob spem absolutionis virtute Bullæ obtinendæ, gaudet illius priuilegio. Idem dicendum de Iubilæo. Sanch. & alij 7 p. 1. tr. 11. ref 16.
- 12 Nominatim denunciatus, vel publicus percussor clerici, vel alius cuius excommunicatio deducta est ad forū contentiosum, potest virtute Bullæ absolui: sed absolutio valebit tantum in foro interiori; nam debet se gerere in publico tamquam excommunicatus ad vitandum scandalum; poterit tamen priuatim Missam audire, Sacramenta recipere, &c. Sanchez & alij 3. Quod intellige de censuris ab homine latis, super quas asserit Pontifex non cadere absolutionem virtute Bullæ in foro exteriori. vnde infertur, absolutionem à censuris à iure latis, valere etiam in foro exteriori. Acosta *ibid. ref. 26.*
- 13 Per Bullam hanc possunt absolui ab excommunicatione causantes, pro-
- guantes,

curantes, vel consulentes abortum.  
Henriq. & La Cruz. p. 5. tr. 9. ref. 40.

14 Qui habet Bullam Cruciatæ, non  
tenetur tempore interdicti audire Sa-  
crum. Quia nemo tenetur vti priuile-  
gio sibi concessio; Coninc & alij 5. Si ta-  
men audiat, tenetur sub veniali preces  
ad Deum fundere pro vnione Principū  
Christianorum ad infideles debellan-  
dos. Villalob. p. 1. tr. 11. ref. 2.

15 Probabilius est per Bullam non ef-  
se dispensabilem irregularitatem pro-  
uenientem ex delicto: quia hæc non in-  
cluditur sub nomine censura, à qua li-  
cet per Bullam absolueret. Suarez & alij  
21. Contraria tamen sententia Salas &  
aliorum 14. probabilis est & in praxi  
secura. *ibid.* ref. 27.

16 Commutatio votorum quæ fit vir-  
tute Bullæ, satis est, si secundum partem  
fiat in eleemosynam ad subsidium tem-  
porale belli contra infideles. Sanchez.  
Vota verò pauperum totaliter in subsi-  
dium spiritale commutari possunt. Sua-  
rez & alij 3. *ibid.* ref. 21.

17 Potest Confessarius beneficio Bul-  
læ, vel lubilæi commutare vota iura-  
mento firmata: quia votum & iura-  
mentum censentur quasi vnum vincu-  
lum.

lum. Suarez *ibid.* ref. 43. Imò & iuramenta adiuncta contractui in quo est turpitudine, & iniustitia in creditore, ut cum latro coëgit ad iuratum promissionem. Ledesm. & alij 3. p. 4. tr. 4. ref. 19. & p. 5. tr. 12. ref. 56. & 57.

18 Possunt per Bullam commutari vota post Bullam susceptam emissã. Hen. iq. & alij 2. etsi quis fecisset votũ de non petendã commutatione. Sanchez & alij 4. p. 1. tr. 11. ref. 50. & 51.

19 Ut per Bullam possint vota commutari, non requiritur alia causa; quia hoc priuilegium confertur cum onere dandielemosynam in subsidium belli contra infideles. Suarez & alij. Potest autem hæc commutatio fieri in minus bonum, alioquin nullum esset priuilegium Bullæ. Non tamen possunt per illud vota dispensari: quia maior potestas requiritur ad dispensandum, quàm ad commutandum. Fernandez & alij 3. *ibid.* ref. 39. 40 & 42.

20 Peccaret Confessarius, qui sine iustã causã noller virtute Cruciatę commutare vota pœnitentis: quippe debet vti priuilegio sibi concessõ in fauorem pœnitentis. Sanchez & alij. Non ita Religiosi, si nolint virtute priuilegio-

rum

rum commutare vota, quia non obstringuntur vti priuilegiis. Sanchez & alij. Licet contrarium etiam probabiliter affirmet Henriquez & alij. *ibid.* ref. 44.

21 Si quis obstrictus voto castitatis, ad nuptias transeat, non potest Confessarius virtute Bullæ tale votum commutare, vt possit petere debitum. Sanchez *ibid.* ref. 66.

22 Per priuilegium huius Bullæ, licet in ieiuniis alicuius Iubilæi vti lacticiniis. Quia Iubilæum non requirit strictius ieiunium, quàm ieiunium Quadragesimæ. Sanch. & alij 7. *ibid.* ref. 5.

23 Regulares, & Presbyteri sæculares suscipientes Bullam, possunt diebus Dominicis Quadragesimæ vti lacticiniis. Quia secundum ius commune, dies Domini non appellantur dies Quadragesimales. Villalob. & alij. *ibid.* ref. 5.

24 Quando virtute Bullæ Cruciatæ conceditur facultas edendi carnes ex licentiâ vtriusque medici, non intelligitur, quando causa est manifesta, aut dubia, sed quando est solum sufficiens ad petendam dispensationem, non tamen ad edendas carnes absque illâ, Sancius p. 3. r. 5. ref. 70.

25 Ad lucrandas indulgentias Bullæ possunt ex vno loco quinque altaria visitari. Bonacin. & alij 9. vel si nõ fuerint quinque, idem altare erit quinques visitandum: licet alij putent non esse opus loco dimoueri, sed eodem loco fixum posse illud quinques visitare, dummodò qualibet visitatione finita, saltem corpus & caput inclinet in signum distinctæ visitationis. Nugnus & La Cruz. p. 1. tr. 11. ref. 102. & in Ad. dit. p. 3. ref. 25. & p. 5. tr. 12. ref. 16.

26 Quando non licet Ecclesiam ingredi propter turbam, potest quis consequi Indulgentias Bullæ orando præforibus. p. 1. tr. 11. ref. 103. Quod tamen intellige, quando tantum requireretur visitatio vnius altaris, non autem quando quinque altarium; tunc enim deberet eo modo visitare quinque Ecclesias. Nugnus. Imò sufficit visitare oratoriũ in suâ domo approbatum ad Missam celebrandam. Trullenc. & La Cruz. idque sæpius eodem die, vt sæpius indulgentias eas lucreris. Villalob. Oratio autem ex vi Bullæ facienda potest esse mentalis tantum. *ibid.* ref. 104. & p. 5. tr. 12. ref. 43. & 44.

27 Per Bullam lucrari quis potest  
omnes

omnes indulgentias stationum Urbis Romæ, etiam plenarias. Villalob. & alij 4. Imò & sæpius eodem die, sicut lucrari quis illas potest Romæ. Villalob. & alij 3. p. 5. tr. 12. ref. 2. & 45.

28 Per Bullam lucratur quis indulgentiam plenariam semel in vitâ, & semel in morte: in bello autem quoties cõfiteretur. Villalob & Rodriq. p. 1. tr. 11. ref. 109.

29 Moribundo sensibus destituito, qui petiit confessionem, potest indulgentia Bullæ applicari. Acoſta & alij. Imò etſi non petierit, ſufficit enim virtualis petitio: nec debet aliquem Sacerdotem in particulari ad hoc designaſſe. Suarez. *ibid.* resol. 108. & p. 5. tr. 3. ref. 133.

30 In articulo mortis indulgentia Bullæ est sub conditione impertienda: ita enim fieri iubet Commiſſarius Bullæ; vel dicat Confessarius: *Concedo tibi omnes gratias quas concedere poſſum virtute huius Bullæ.* Rodriq. & Fernand. Ceterum quando clericus haberi non potest, laicus potest concedere indulgentias Bullæ. Nauarr. Imò poſſunt abſenti applicari. Trullenc. p. 1. tr. 11. r. 106. & p. 5. tr. 3. ref. 134 & tr. 12. ref. 46.

31 Per Bullam Cruciatæ ſuspenduntur altaria priuilegiata Conuentibus quibusdam

buldã concessã ad liberationem animarum à Purgatorio. Fernand. & Villalob. opposita tamen sententia est æquè probabilis. Trullenck *p. 1. tr. 11. ref. 86.* & *in Addit. p. 3. ref. 22.* Non suspenduntur autẽ privilegia cõcessã iure cõmuni, & consuetudine approbata. Neque Indulgentiæ Regularium, seu mendicantium, seu non mendicantium. Villalob. & alij. *p. 1. tr. 11. ref. 87. 88. 89.*

32. Si elapso anno non promulgetur nova Bulla, poterit quis frui privilegio primæ, quæad nova promulgetur. Henriq. & alij 2. Et si ante elapsum annum promulgetur, poterit vti privilegio primæ, donec annus absolvatur. Saucius, & alij 2. *ibid. ref. 91. & 93.*

33. Si amicus sumat Bullam Cruciatæ nomine alterius qui iam habet, potest hic illam non acceptare, & alteri applicare. Villalob. Si autem Bulla absque culpa amittatur, vel rumpatur, vel comburatur, valere tamen docent quidam Henriq. & alij 6. sed contrarium habent verba Bullæ. *ibid. ref. 95.*

34. Per clausulam Bullæ Cœnæ, vel per Iubilæum anni sancti, Bulla Cruciatæ non suspenditur: quia privilegia huius Bullæ

Bull  
traç  
non  
las &  
35 C  
pen  
præ  
tari  
vel  
nun  
iam  
traç  
non  
ex h  
& e  
qui  
vol  
ibid  
36  
pro  
surg  
mo  
& p  
legi  
hisc  
cun  
ctur  
den  
Tri



Bullæ conceduntur per modum contractus; quæ autem sic conceduntur, non censentur à Pontifice reuocari. Salas & alij 9. *ibid. ref. 96 & 97.*

35 Commissarius Cruciatæ potest dispensare super qualibet irregularitate, præterquam ratione homicidij voluntarij, aut simoniæ, vel apostasiæ à fide, vel hæresis, vel propter malam Ordinum susceptionem. Auila, & alij 3. Etiam super irregularitate publicâ contractâ ex delicto. Henriq. & alij 2. Nec non super irregularitate proveniente ex homicidio casuali: (Coninc & alij 3.) & ex iniustâ mutilatione membrorum, quia Bulla excipit tantum homicidium voluntarium. Rodriq. & Villalobos. *ibid. ref. 110. 111. & 112.*

36 Potest Commissarius dispensare pro foro conscientie, in affinitate consurgenti ex copulâ fornicariâ, in primo & secundo gradu vtriusque lineæ, & prolem susceptam, & suscipiendam, legitimam decernere, concurrentibus hisce cõditionibus. 1. vt matrimonium cum illo impedimento sit iam contractum, nec omissæ fuerint culpabiliter denuntiationes, seruataque sit forma Trid. *sess. 24. c. 1. 2. vt impedimentum sit*

fit occultum, id est, non publicum. 3. vi  
 adfuerit bona fides saltem ex parte al  
 terius contrahentis, ignorantis illud  
 impedimentum. 4. vt coniux qui id  
 ignorauit, certior fiat de prioris con  
 sensus nullitate, non tamen necessario  
 de impedimento nisi in genere. Sanch  
 & alij. *ibid. ref. 116. 117. 118. & 119.*

## C.

## CÆCVS.

1 **Q**ui planè cæci sunt, vel surdi, ve  
 muti, possunt tanquam personæ  
 miserabiles declinare forum ciuile, &  
 agere in Ecclesiastico. Nauar. & alij.  
 Item sunt immunes à muneribus pu  
 blicis ciuilibus, neque possunt propter  
 delictum puniri pœnâ ordinariâ. *part. 1*  
*27. 6. ref. 30 33. & 31.*

2 Cæcus potest esse fideiussor, non au  
 tem muti, & surdi, nisi sponte id fa  
 ciant, & non à Notario, vel alio frau  
 dulenter inducti, idque præstent scri  
 ptis. *ibid. ref. 29.*

## Cambium.

3 **C**vm pro campfario responde  
 procurator campforis, de ipsius  
 campfo